Opuscula

# GRYPHUS ALIGER
## Virtutes & Merita
*ILLUSTRIS olim ac MAGNIFICI DOMINI,*
# D. JACOBI
De Otffinow
# OTFFINOWSKI,
DAPIFERI WYSOGRODENSIS,
## Ex umbris Sepulchralibus,
ad Lumen
IMMORTALIS GLORIÆ
# ATTOLLENS;
Dumq; Ejus mortales exuviæ, Cracoviæ
In Ecclesia S. CASIMIRI, Patrum Reformatorum,
Ordinis S. FRANCISCI strictioris Observantiæ,
cum summo Omnium dolore
sepelirentur,
*ELOGIARI CALAMO,*
*Ad perennem tanti Viri memoriam,*
*PER*
M. FLORIANUM ANTONIUM LACHOWICZ,
Philosophiæ Doctorem & Professorem, Collegam Majorem,
Ecclesiæ SANCTÆ ANNÆ CANONICUM.
## DEMONSTRATUS.
Annô Domini 1733. Die 30. Julij.

---

Typis Collegij Majoris, Universitatis
Cracoviensis.

(22)

# In Stemma
## ILLUSTRISSIMÆ DOMUS
# OTFFINOWSCIORUM.



SArmaticis Campis GRYPHUS consurgit in altum,
Hostiles Lechico pellit ab orbe minas.
Fortiùs adversis opponit pectora rebus,
Certat pro Patria, Relligione, Fide.
Nititur in Cælum post tot victricia gesta,
Victorem Cæli sola corona manet.

# GRYPHUS ALIGER

## Virtutes & Merita,

Ex umbris Sepulchralibus,
Ad Lumen
IMMORTALIS GLORIÆ

# ATTOLLENS.

**Attollimur Mortales,**
ſed in alto ima experimur.
Creſcimus,
ſed inſtar plenioris Cinthiæ decreſcimus.
Dum augemur, diminuimur; dum multiplicamur, ſubtrahimur.
Vita noſtra, viva Mors.
O miſeri!
ſic vitam ducendo, mortẽ ubiq; expectamus,
ſed
quando, & quomodo, neſcimus.
Tempus, quod vivimus;
perennis fuga & noſter interitus eſt.
Labimur de annis in annos,
ſicq; interimus.
Inter lubrica viarum, caſibûs ſtamus,

inter alta ſuſpiria, ſolis inſiſtimus ruinis,
*Hodie aliquid, cras nihil.*
Metimur nos longiori ætate, & abbreviamur.
Sub Phæbo Cæli ſereno, obſcuramur.
Dies nobis allucent,
qui perpetuam noctem invehunt.
Horæ fluunt,
ſed
non tàm Gangetico pulvere,
quàm cinere ſepulchrali.
Diſtincti in mundi lucem prodimus,
exitu æquamur.
**Proh dolor!**
naſcimur infelices.
Non priùs adſtantem Lucinam,
quàm atrocem Libitinam conſpicimus.
Vix à Parentibus acceptamur,
à fatis excludimur.
Non tàm faſcijs
quàm levi Paradiſi folio involvimur;
in quo
necdum literati, benè legimus ſtatutum:
ſemel mori.
*Vbi una naſcendi, hîc moriendi mille figuræ.*
Penduli ab uberibus,
ſimul vitam & mortem ſugimus.
Ploramus,
quòd

quòd innocentes concepti in culpa ſumus.
Imgemiſcimus;
quòd nudi ad mortales exuvias deſtinamur.
Dolemus;
quòd de utero materno, non tàm ad infantiles cunas,
quàm ad urnas lethales transferimur.
Vagitu noſtro,
inter graves Mũdi plagas incuſamus Parcas.
O Parcæ!
ſupra Nomen ſuum crudeles, quæ nemini parcunt.
Cæco ruunt impetu,
ſine delectu maturos immaturosq; invadunt;
Ad labores natos,
in æternum quieſcere cogunt.
More latronis,
omnibus unam vitam, in una vita omnia eripiunt.
Noctem non expectant,
etiam meridiante ſole graſſantur.
Viros Orbe toto majores
tenuiſſimæ ſuperant, in ſpolium ducunt,
& in anguſto claudunt ſepulchro.
Nonne hîc dolendum?
ubi viles hominum caſæ, in viliores urnas abeunt;
Solia Regum ſolo æquantur;
ſublimes Throni in ſarcophagum cedunt;
Clavæ Ducum in clavos transformantur;
Enſes militum in ligones vertuntur;
Vexilla Heroum in lugubria funerum velamina
diſponuntur;

Honorum omnium faſtigia, in faſtidia
mutantur.
## In Theatro Mundi,
adhùc aperitur Fatorum ſcena.
Phæbus Muſarum,
ſub umbris fatalibus ſæpè apparet.
Chorus Parnaſſi,
Requiem æternam non rarò ſonat,
& diem iræ intonat.
Eruditæ Laurus,
in dies ferales induunt Cupreſſos.
Vbiq; triſte ſpectaculum:
ubiq; metus & dolor,
Mors inevitabilis eſt.
Videtur in alijs, ſperatur in nobis.
Falcato ferro
oculos noſtros, in copioſas reſolvit lachrymas;
pectus noſtrum in dolorem ſcindit;
ad cujus fragmenta,
ruinæ irreparabiles ſeqvuntur.
Non redeunt Viatores,
qui abierunt illùc, ubi eſſe acceperunt.
Sereniſſimi Regnorum non oriuntur Soles,
qui ſemel occidunt.
Ampliùs non rubeſcunt Purpuræ,
quibus Fata ſuum inducunt pallorem.
Non aſſurgit Pedum,
quod

quod pede ſævientis Libitinæ calcatur.
Dies noſtros, quos perdimus,
invenimus nunquam.
*Nec, quæ præterijt, hora redire poteſt.*
Variîs jactata procellîs vita omnium
non emergit;
quam cinis ſepulchralis abſorbet.
Siſtite hîc Viatores,
tremuli audaciùs hoc tollite ſuppoſitum.
Superſunt, qui pereunt;
naſcuntur, qui moriuntur;
cùm nonniſi locum & vitam mutent.
Licet mori videntur, non tamen poſſunt,
quos virtus ſupra mortalia evexit.
Nocet quidem mors hominibus,
ſed nocendo prodeſt.
Adimit vitam brevem,
ſed dat longiorem.
Vmbra fatalis,
lucem perpetuam accendit pulchriùs.
Conſurgunt altiùs, qui graviter ceciderunt.
Caſus talis, qui elevat,
ſors de Cælo eſt.
Poſt nubila Phæbus ſerenior,
poſt triſtem occaſum vaſtior evadit.
Luna in ſuo decreſcenti ſepulta,
ſæpè reſurgit, creſcit, lucidiorq; apparet.

Rosa cum atteritur, amænius redolet.
Ex suo funere
feliciorem vitam Phænix habet.
Ex suo lapsu,
altos Hercules ascendit Cælos,
& sub novo sidere fortior spectatur.
Felix malum, quod ita prodest.
Vita non mors, quæ immortales reddit.
Ego hæc currenti leviq; calamo scripsi,
sed
**GRYPHUS ALIGER**
cum sua gravitate ad probandum assurgit,
qui
**Virtutes & Merita**
ILLUSTRIS olim ac MAGNIFICI DOMINI,
**D. JACOBI**
De Otffinow
**OTFFINOWSKI,**
**Dapiferi Wysogrodensis,**
ex umbris sepulchralibus,
ad Lumen
immortalis Gloriæ
attollit.
Nec latet, nec hæret in ūbris sepulchralibus,
sed in altum evolat,

cui

cui Fama immortalis, & Amor pro Patria perennis
addidit alas.
Cælum petit,
quid mirum?
in quo zelus in DEVM eſt.
Caput illud in aſtra attollit,
ex quo prodeunt ſublimî ingeniô Platones,
conſiliô graviſſimi Catones,
OTFFINOWSCIJ.
Pectus leoninum præfert,
imperterritos ubiq; monſtrando Heroes.
Neſcit humi ſerpere,
in ſublimia fertur, hoſtili cruore purpuratus,
Principem locum habiturus.
Semper in motu glorioſo eſt,
& hodie ad æternam magni Viri requiem
non otiatur;
dum fatîs extinctum immortalitati infert.
Vivere nunc mortuus maximè videtur,
cujus vivam Imaginem umbra mortis
repræſentat.
Superſtes poſt fata totus nobis eſt,
ſiquidem:
*Vir bonus etiamſi moriatur, vivit.*
Virtus Ejus Soli Iuſtitiæ intenta,
nullîs tenebrîs obrui poteſt.
Olympus Illi non terra, in urnam cedit;
cujus animus terrîs major eſt.

Feralis hæc umbra habet lucem,
habet cinis diſperſus illam molem, quæ Olympũ refert.
Nihil in JACOBO non maximum,
nihil non eminentiſſimum,
etiam quod infans parvumq; eſt.
Primo ſtatim Sole
derivavit lucem vitæ nobilis,
ab Illuſtriſſimis Majorum Ceris,
quas in Orbe Polono ipſa Cæli Aſtra
accenderunt.
Ex Domo magna, non minor prodijt.
Domus hæc
ad propitium Cæli influxum ita crevit;
ut etiam Sereniſſimam Regum Poloniarum
Majeſtatem attingeret.
Altus eſt Sangvis OTFFINOWSCIORVM,
qui
ex venis PRINCIPIS IAXA effluxit.
Quotquot hujus Sangvinis Guttæ,
tot Gemmæ;
in quibus candor erga Reges & Patriam
refulget.
Sangvis Principum OTFFINOWSCIj;
quem ita ſuus nativus candor,
ut vitrum Roſam prodit.
Arbor Conſangvinitatis OTFFINOWSCIANÆ,
in Campis Sarmaticis tanta eſt;
ut ſe

ut ſe non tantùm per Palatinatum Cracoviẽ:
Sandomirienſem, Lublinenſem,
ſed per totam Poloniam,
imò
per Orbem totum extendat.
In folijs hujus Arboris,
reverenter lego Polonos Numas,
Scipiones, Camillos, Hortenſios.
Adorantur in Aris
beneficæ OTFFINOWSCIORUM Charites;
deſudant Templorum parietes
in hoc unicum;
ut ſuos loqvantur Mecænates.
Vide & mirare;
Impavidos Lechici Martis Heroes
OTFFINOWSCIOS;
quibus ſunt
pectora pro mænibus,
animi pro Scuto,
virtus pro galea.
Claſſica ferrei Martis
Nomen OTFFINOWSCIORUM ſonant,
ſed
Lingvæ Orientales
non minùs æternitati commendant,
quibûs velut ſuîs pro Patria
cum DUCE ZBARASCIO

coram Porta Othomanica locuti,
Divini planè Mercurij.
Prætereo in Oriente Alios,
ſufficit ad Gloriam Vnus,
Ille,
alti Spiritus vaſtiq; Ingenij
OTFFINOWSCIVS,
Quem
SIGISMUNDUS III.
Rex Poloniæ,
ad
OSMANVM
Turcarum Imperatorem,
INTERNVNTIVM
fecit.
Abijt
Vir ingeniô, judiciô ac in rebus gerendis
dexteritate clarus,
*ad corrigendos nonnullos Pactorũ Articulos,*
Quem
Helluo Regnorum,
latiſſimi Imperij vaſtitate
tumens,
dum nec aſpectu dignatus fuerit,
Regiam Majeſtatem
læſit,

inter

inter Reges Poloniæ & Domũ Othomanicã,
arctissimum fregit nexum,
Bellum Chotinense contra se,
*rerum gestarum magnitudine celeberrimum,*
*prospero eventu supra omnium sæculorum*
*Fidem stupendum*
movit.
Indomitus Tyrannus,
Cornibûs suæ Lunæ elatus,
Dextera Omnipotentis DEI depressus,
Machinîs Bellicîs attritus,
tubarum clangore, armorũ strepitu cõfusus,
magnum OTFFINOWSCIj Nomen,
quod per Sulbassam contempsit,
ingenti Turcarum clade
adoravit.
Marte & Arte felices
**OTFFINOWSCIj;**
in quorum manibus
enses & calamos acutos,
nostri & exteri soles conspexerunt.
Videndum erat ad Cudnovienses Cannas
**OTFFINOWSCIOS;**
ubi fuerunt telluri graves,
sed magis Hosti infenso.
Ferreum pectus ita Moschis opposuerunt;

ut illos,
non tantùm extra fines Martialis arenæ,
ſed
ultra vitæ limites propulſarent.
Alij militaribûs alîs victrices palmas,
alij pedibûs aligeri Pegaſi
immortalem conſecuti ſamam.
Dulci ſuſurro Caſtalij Fontes memorant
VALERIANUM
OTFFINOWSKI,
Pocillatorem Sandomirienſē,
Polonum Maronem & Virgilium,
Quem
Deæ Muſæ Cordi Regum induxerunt.
Ita Sereniſſimi Reges acceptârunt
OTFFINOWSCIUM,
ſicut
Auguſtus Horatium,
Alexander Homerum,
Honorius Claudianum.
Pios aliorum Aborigenum manes non fatigo,
laboribûs & meritîs fracti, quieſcant,
Quos
ſola admiratione & profūdo ſilētio veneror.
E ſepulchrali nonniſi lapide
ſcri-

ſcriptoriô calamô transfero in paginam,
ILLUSTREM olim ac MAGNIFICUM D.
D. GREGORIUM
De Otffinow
OTFFINOWSKI,
Capitaneum Bedźinenſem,
Omnibus amabilem, univerſis neceſſarium,
qui non ſibi, ſed Patriæ vixit,
Majorum gloriam adæquavit,
maxima virtutum ſpecimina dedit.
Succedētes Filij nō receſſerūt à virtute Patris.
Prominet inter alios vera Patris Idea
ILLUSTRIS olim ac MAGNIFICUS DOMINUS,
D. ALEXANDER
De Otffinow
OTFFINOWSKI,
Capitaneus Szczercovienſis,
Dictîs factîsq; in Patria Civis magnus,
moleſtus nemini, carus omnibus.
Virtutibûs clarus, Prole ſua beātus fuit,
dum in ornamentum
Eccleſiæ, Patriæ, Familiæ,
FRANCISCVM militiæ Ductorem,
STEPHANVM Theologum, Oratorem,

Pòëtam, ore, & calamo felicem,
BRIGITTAM & EVPHEMIAM,
Sacratiores Vestas;
AGNETEM, APOLLONIAM, IVLIANAM
Polonas Amazones,
charissimas magnorum Heroum Conjuges
reliquit.
Omnibus gratus & jucũdus etiã post fata est,
ILLUSTRIS olim ac MAGNIFICUS DOMINUS,
D. GREGORIUS
De Otffinow
OTFFINOWSKI,
Vir pietate, humanitate, morum gravitate insignis.
Grande Patriæ decus,
sui pretium sæculi,
ILLUSTRIS olim ac MAGNIFICUS DOMINUS,
D. GASPAR
De Otffinow
OTFFINOWSKI,
Capitaneus Szczercoviensis,
cujus magnitudini quævis elogiorum moles
non sufficit.
Plura Ille zelosus pro Fide, Ecclesiâ,
& Patria gessit,
quàm scribi possunt,
plura

plura meruit,
quàm venusto ore dici, ac mente vasta comprehendi.
Magnitudo Ejus animi in tribus Filijs,
THOMA, IACOBO, IOSEPHO,
expressa est.
Fortes ex forti, Magni ex Magno nati:
dum
*è nido Aquilarum corvi non evolant,*
*sed digna Phœbo proles.*
Ex His
ILLUSTRIS olim ac MAGNIFICUS DOMINUS,
D. THOMAS
De Otffinow
OTFFINOWSKI,
Pocillator Dobrzynensis,
Aureus in ferro Poloniæ Heros,
qui
in cruenta Gradivi arena, non gravis;
sed
promptus ad pugnas felixq; ad palmas fuit.
In hoc
omnes virtutes sedem sibi fixerunt,
omnia habuit,
defecit in uno, quòd non plùs vixit
DEO & Patriæ,

ſed
vixit ſatis, quòd vixit benè.
Succedit minor annis, ſed non virtute
ILLUSTRIS olim ac MAGNIFICUS DOMINUS,
D. JACOBUS
De Otffinow
OTFFINOWSKI,
Dapifer Wyſogrodenſis,
Cujus hodie mortales exuviæ,
non ſinè lacrymis & dolore,
piîs ſepeliuntur manibûs.
Mortuus æternùm victurus,
qui vixit moriturus.
Animam DEO reddidit,
virtutes & merita Poſteritati reliquit.
Magnus Vir mortalitati ſuccubuit,
qui etiam in cunis pluſquàm Gigas,
ſuîs non minor Majoribûs fuit.
Faſciæ infantiles Herculem alterum
ſtringere videbantur,
qui herculeam ſpirabat virtutem.
Inter pueriles lacrymas
ſolatium ex ſe futurum promittebat,
nihil puerile habens,
præter ánnos.
Florem Iuventutis ſuæ
Regi-

Regijs porrexit Musis,
quibus decus & delicium fuit.
Ad eruditum Phæbum
in tenera Ejus ætate,
Indolis maturitas apparebat.
Vastitate ingenij,
Colles Parnassios longè superabat.
Mirabatur natura
magnum in corpore parvo,
gravem in levi Iuventute,
constantem in omni progressu.
Hinc
Tempora Ejus gemmeo sudore lota,
nunc Deæ Musæ magni Iagellonis
doctîs ornabant laurîs,
nunc Gratiæ Iovis Supremi
suîs favoribûs coronabant.
Bonîs imbutus Artibûs
soles exteros videre noluit,
qui
aliquando obscurant magìs, quàm illustrãnt,
nativîs splendoribûs Illustrissimus.
Solius ductu virtutis,
ex pulvere Scholastico, ad arenam Martialẽ
se transtulit;
ubi
ad focum Vulcani altiùs eminuit;

fulgore armorũ claritatem Majorum auxit;
auream ætatem ex ferro ſibi fecit.
Impavidus Heros,
quòcunq; velocem greſſum movit,
ubiq; triumphum obtinuit.
Formidabant pericula,
ubi
collapsã ſpẽ Patriæ Herculeo corde erigebat.
Trepidabant fata,
cùm vivum Martem hæc cæca Numina
conſpiciebant.
Pallebant mortes,
dum ex corpore adverſi exercitûs
cruorem educebat.
Igneum in prælia ferens pectus,
vitam exuere cupiebat,
æſtimando:
*dulce pro Patria mori.*
Nec Hercules contra duos,
Ille unus contra plures aſſurgebat,
fugando, triumphando.
Terra, quamcunq; calcabat,
victrices laurus proferebat, palmasq; porrigebat,
in virtutis Ejus coronamentum.
Totus ferreus Heros
periculîs cruentîsq; negotiîs enutritus
hoſtibus in terrorẽ, cõmilitonibus in amorẽ,
Pa-

Patriæ in delicium cessit.
Deposuit galeam,
amovit gladium feliciter,
& feliciùs ad Conjugales tædas accessit;
dum
ILLUSTREM ac MAGNIFICAM
# ANNAM
Magnâ PRZECŁAWSCIORUM Domô
prognatam,
veriorem Orbis Poloni Pulcheriam,
in vitæ Sociam admisit.
Habuit cordis & animi delicium,
Familiæ gemmam,
in Quam
Natura, Virtus, Fortuna,
certatim omnia summa congesserant.
In prosperis & dubijs fuit levamen
# JACOBO,
Pietate, morum svavitate, rarâq; prudentiâ,
supra fæminam felix Consors;
sed brevì
in pectoris amici pressuram cessit,
in quam irruit saxum fatale.
Astrîs faventibûs
venit afflicto solatium, desiderij corona,
ulterioris vitæ Comes

ILLUSTRIS ac MAGNIFICA

# A N N A

ex Illuſtriſſima IORDANORVM Domo,
in qua verecundia Artemiſiæ,
morum elegantia Venuſinæ,
ingenium Minervæ
relucebat.
Duo fuerunt unum,
ſed
ex hoc uno fata iniqua diverſum fecerunt;
dum
animæ dimidium ex ipſo corde,
non ſinè vulnere ſubtraxerunt.
Boni tamen Superi
funeſto immerſum mærori recreârunt;
dum Illi
ad dulce vitæ conſortium
ILLUSTREM ac MAGNIFICAM

# THEOPHILAM

Nobili KANSCIORUM Genere
& virtute claram,
elegerunt.
Accepit electam,
ſimulq; cum Ea verecundiam ferè Angelicã,
humilis animi pietatem,
ad ſuos nutus promptitudinem.

Ma-

Magnus meritîs vixit,
licèt majoribûs dignus titulîs,
tamen non ambire magna,
ſed mereri contentus,
Noluit erumpere in altum,
ſub nube modeſtiæ ſatìs clarus.
Et bene:
alti Honores ludibria ſortis ſunt;
quævis dignitas palliata miſeria;
ſub gemmeis Coronis
magni ſæpè gemunt Viri:
*cùm nullus ſit in Corona unio,*
*qui ſudor non ſit,*
*rubinus nullus,*
*quì non ſit ſanguis.*
Iucundæ aſpectu Purpuræ,
ſed tineîs nonnunquam refertæ,
quæ mentem & animum rodunt.
Tam bonum fallax, & pompoſam ruinam
fugiendo,
humilis ſemper videri gaudebat,
Virîs ſublimibûs Major.
Præter vim ſummi ingenij,
magna ex ipſo corpore acceſſit Ei dignitas;
cujus quantitas
moles virtutis Gigantea.
Caput Ejus optimum,

in quo ſenſus de Bono Patriæ profundi,
mens autem in Cælum elevata.
Frons Ejus ſerena,
quæ omnes ad ſe trahebat, neminē arcendo,
& ex qua
guttæ ſudoris in gemmas vertebantur.
Vultus totus,
propior Dijs, quàm hominibus.
Oculi placidiſſimi,
qui non deſpiciebant, ſed reſpiciebant.
Blandum os,
quod fallere mentiriq; neſcivit,
& quot verba, tot oracula fudit.
Manus aureæ,
quæ nemini injuriam intulerunt,
nudos contexerunt,
paupertatem FRANCISCI ditaverunt,
punctô temporis Cenſus omnes ſolverunt.
Solverunt,
debitū tamen omninò ſolubile contraxerūt:
reſtat mori.
Ad Solvendum hoc debitum, ivit
JACOBUS
Domi peregrinando.
Ex voto
in Mare Gratiarum ſe commiſit,
ſed

ſed priùs in ſcopulum vitæ incidit.
Heu ſpes votîs eluſa!
Montem Clarum petijt,
ſed priùs umbram mortis ingreſſus.
Ad Salutem infirmorum propè ſuſpirando,
expiravit.
Ad Roſam Myſticam
manus devotas erigendo,
cor contritum elevando
fatis palluit.

**Felix Locus,**

in quo Lethum fuit Illi lætum.
Adhuc in terris Viator
ad Portam Cæli accedebat.
Ex terra migrando,
ipſo in Cælo eſſe videbatur,
ubi
non procul Reginam Angelorum habuit.
Abijt quidem, ſed non obijt,
manet poſt fata ſuperſtes.
Ejus tamèn egreſſus, quod ſit ſine regreſſu
omnes plorant, gemunt, ſuſpirant.
Lapis hic ſepulchralis
premit cor & dolorem ex ipſo elicit
ILLUSTRIS ac MAGNIFICI DOMINI,

**D. JOSEPHI**

G De

De Otffinow
# OTFFINOWSKI,
## Capitanei Szczercoviensis,
## Fratris æstimatissimi,
Viri de Republica meritissimi;
in Quo
summa pietas in Superos,
fides & amor in Patriam,
liberalitas in egenos,
clementia in subditos,
candor & affabilitas in omnes relucet.
Dolendum Illi!
cùm sit magnum Orbis Poloni Lumen,
& modò
umbram mortis ferre debet.
Ingemiscendum!
ubi crudeles Parcæ
in filo vitæ nexũ fraterni sangvinis scindũt.
Triste spectaculum,
cùm Major Frater
caput in sepulchrum flectendo,
Minorem veneratur
Eiq; vale dicit æternum.
Discite amorem;
## JACOBVS JOSEPHVM
ita vivus adamavit;

ut

ut etiam defunctus junctîs supra pectus
manibûs
fædus amoris erga vivum exprimat.
Amor amore pensatur,
tenet vivus defunctum in corde,
qui evolavit ex oculis.
Confluunt ad Fratrem Sorores
augentq; suîs querelîs dolorem,
TERESIA
ILLUSTRIS ac MAGNIFICI DOMINI,
D. STEPHANI
WIELOGŁOWSKI,
Pincernæ Ravensis,
Judicis Capturalis Crac:
&
HELENA
ILLUSTRIS ac MAGNIFICI DOMINI,
D. JOANNIS
LIPSKI,
Pocillatoris Chełmensis,
Judicis Capturalis Crac:
Consortes;
Polonæ Corneliæ, Virorum Coronæ.

Indolent,
quòd illis falcatô ferrô cor à corde avellitur
& in escam vermibus deponitur.
Suspirat à longè inter umbras Religiosas
cum mæstissima Sorore sua EVPHEMIA
RELIGIOSISSIMA in CHRISTO

# BRIGITTA OTFFINOWSKA,

## Conventus Sanctimonialium

Præmonstratensium Zwierzynecensis
ad Cracoviam

## ABBATISSA,

quod Germanum ex Patruo Fratrem
nec vivum, nec defunctum videre potest.
Abest quidem corpore,
sed adest funeri præsens animô,
quæ in Virgineo Sacrarum Musarum choro
altera Pallas conspicitur.
Pridẽ HâcCælo dicatæ Virgines indigebant,
ne unquam indigerent,
ex Cujus oculis, qui cordis fenestræ sunt
solæ gratiæ prospiciunt,
& ad mentem omnibus cuncta provident.
Sistit
in funesto ad sepulchrum exitu,

Re-

Regum æſtimatio, Principum Delicium,
omnium Amor
ILLUSTRIS ac MAGNIFICUS DOMINUS,
D. G A B R I E L
de Bogusławice
SIERAKOWSKI,
Capitaneus Mſzanenſis,
Confæderationis Palatinatûs
Cracovienſis
MARESCHALCVS,
Quem
venæ alti Sangvinis,
cujus guttam, vel potiùs Gemmam habet,
conduxerunt.
Venit non ſolus,
ſed cum Ipſo dolor ingens,
ac
Mæſtiſſima Conſors
R O S A L I A,
ſempèr
Verior Pandora, Sarmaticâ Pulcheria,
hodiè
Niobe dolentiſſima,
cum qua

H De-

# Defuncto Patri,

non tam ſepulchrum, quàm ipſum cor
ad ſepeliendum aperit.
Defunctus Pater vivit in corde

# GABRIELIS
&
# ROSALIÆ

cum Quibus
etiam poſt fata lingvîs Filiorum deſideratiſ-
ſimè locutus,
Se Ipſum & ſortes ſuas
in fideliſſimam diſpoſitionem committendo.
Tantis deſiderijs ſuccurrunt
mæſtiſſimi Conjuges;
agunt pientiſſimi,
quod Sangvinis obligatio,
quod affectus ſvadet.
Candidi, gemmei toti,
quidquid ſuſcepti muneris eſt,
ad ſolatium mæroris rectè perficiunt.
Lenimen doloris maximum,
dum Patrem defunctum
debitâ proſeqvuntur reverentiâ & affectu,
qui in odia fatorum venit,
& è vivis abijt.

Abi-

Abijt,
Ah dolendum!
Die Solis ultimum vitæ clauſit diem,
ora omnium in planctus, oculos in lacrymas,
corda in vulnera aperiendo.
Pro ſangvine dant lacrymas cordis,
& hîs,
*quæ pondera vocis habent*
incuſant fata, ſed non immutant,
Magnæ expectationis Filij
ILLUSTRES ac MAGNIFICI DOMINI,
ANTONIUS, SIMON, JOSEPHUS,
**OTFFINOWSCIJ;**
**Dapiferidæ Wyſogrodenſes,**
Paterni Nominis & Virtutis Hæredes.
Tyrannus omnium dolor
maximè Filios occupat,
dum adunca Libitinæ falce à Patre diſtingvuntur,
cujus cordi maximè adhæſerant.
Damnum ingens, dolor maximus,
dum illud Cor amiſerunt,
ex quo primum vivens acceperunt.
Sinè Corde,
quod pîjs manibûs tumulatur hodie,
morti æquantur.
Cecidit Vir Magnus ſub lapidē Sepulchralē,
tamen ſub marmore non quæramus Eundē.

Viva Defuncti Imago,
vera Ejus Exemplaria extant
Carissima Pignora.
Inspice Filios, Patrem habes;
Cujus vestigijs gloriosis optimè insistunt.
In Campo Sarmatico,
ad magna natos se demonstrant;
qui pietatem in Superos, reverentiam in Superiores,
observantiã in pares, affabilem propensionẽ
in inferiores,
timorati, omnium capaces, vitiorũ expertes
præmittunt.
ANTONIVS
â Phæbo Musarum sub Martem evolavit,
Generosam in armis exercet Indolem,
optimè gnarus:
quòd gloriosum sit Magnis Heroibus,
priùs igne Martiali nitere,
quàm Illustribûs Titulîs fulgere;
priùs in æstu solis, quàm in Solio videri,
priùs galeæ, quã Coronæ Caput submittere.
SIMONEM
&
JOSEPHVM,
Iagellonica Pallas in erudito fovet sinu,
uterq; spes Patriæ magnâ,
in Cu-

in Cujus decus flores Tullianos colligunt.
Ingeniô ſubtilî longè Majores, quàm Corpore.
Extra Romam Tullios æmulantur;
Quorum unus non ſinè admiratione
in Illuſtriſſima Facie
Comitiorum Proſlovicenſium
Mentem

# AUGUSTI II.

REGIS olim Poloniarum feliciſſimi
ſtylô elegantî, fluidoq; ore explicuit.
In viridi vitæ curſu
Regius à latere Orator,
infert augur animus,
Quòd in matura ætate omnium Princeps Oratorū fiet.
Ambo Eloquentiæ Auditores,
ſatìs ubiq; diſerti,
qui ſuavitate oris etiã Celſiſſimos Principes
delectârunt,
omnes in ſui admirationem
& encomia traxerunt.
Sermo Fratrum ſemper Oratorius erat,
hodie doloroſus:
pro rotundis periodis, copioſas lacrymas,
pro longis pneumatibus
alta ſuſpiria fundunt,
& ita;

ut colligendis non ſufficiat Sepulchrum.
Verbum nullum dicunt,
quod acumen doloris non ſit.
Solo gemitu ac luctu perorant,
Fata iterum iterumq; incuſant.
Inter ſpinas tanti doloris,
Roſinos Oratores dum mœſtiſſimæ
audiunt Sorores,
magìs ad planctum commoventur.
Sub Religioſo ſilentio non poteſt
ſervare ſilentium
Religioſa in Chriſto
ELISABETH
Ordinis S. BENEDICTI
Conventûs Staniątecenſis:
& ore & corde vocali indolet,
quòd Illum Patrem amiſerit,
cujus benedictionibûs ſatis dotata fuit.
BARBARA,
HEDVIGIS,
SALOMEA,
ROSALIA,

in florida Juventute, non sinè amaro fletu
marcescere videntur,
quas ardentes funeris Paterni ceræ adurunt.
Ad ultimum vitæ suæ declivium
non desinent plorare,
lapide Sepulchrali Patris æstimatissimi
innocentes in perpetuum læsæ.
Super fatali Tanti Viri casu,
præ nimio dolore tremunt
**Illustrissimæ Colligatæ Domus**
HVMIECCIORVM,
ŁVBIENSCIORVM,
WIELOPOLSCIORUM,
MAŁACHOWSCIORVM,
IORDANORVM,
DEMBINSCIORVM,
PRZYŁĘCCIORVM,
DĄBSCIORVM,
MĘCINSCIORVM,
SKORASZEWSCIORVM,
PRZECŁAWSCIORVM,
ROIOWSCIORVM,
STRVSORVM,
KROSNOWSCIORVM,
SIEMIENSCIORVM,
WIELOGŁOWSCIORVM,

LIPSCIORVM,
SIERAKOWSCIORUM,
DROIOWSCIORVM,
MĄCZYNSCIORVM,
RZVCHOWSCIORVM,
KVRDWANOWSCIORVM,
KĄTSCIORVM,
CHWALIBOGORVM,
WĘZYKOWIORVM,
CHROSCINSCIORVM,
FVIARSCIORVM,
SMIETANKOVIORVM,
TĄGOBORSCIORUM,
REMERORVM,
SWIERCZKOWSCIORVM,
GOWOROWSCIORVM,
KANSCIORUM,
LESNIOWSCIORUM.

Aliorumq́; Magna Nomina
nexu ſanguinis funeſto junguntur dolori.
Perforatæ S. FRANCISCI manus
nova vulnera;
in Crucem compoſitæ
novam paſſionem ſentiunt,
quòd ſint privatæ ſuo Mecænate.
In hoc tamen mœrore ſolatium referunt,
cùm

22.000,-

3.XII.13



Bibliotheca
P.P. Camaldulensium in Bielany

Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej
02350